

I O A N. V I R D V N G I

ac tanto ea etiam acumine, ut non putē aliud admirabilius scriptum extare in tota hac corruptibili natura. Opus hoc, si latine requiras, magnæ compositionis Titulo inscribitur, quod Arabes postea non magnū, sed Græco, opinor, superlatiuo, addentes suum articulum, uoce modice detorta, Almagestum quasi dicas maximū appellarunt. Tam fuit admirationi illis magnitudo & excellentia Ptolemæi. Concedendū est Arabibus, quod primi Græcorum ad se artes pertraxerint, propagarintq; in primis Astronomicen in Occidentē, & usq; in Hyspanias. Vastata em̄ Græcia receperunt se fugientes Musæ, ad nationes Occidentis, inde postea, quamuis nimis sero, inuiserunt Germanos. Et cum de Astronomia in præsentia sit sermo nobis, cœperunt nostri has disciplinas, perpensa summa earū utilitate, & præstantia excolere. Multos numerare possem, non ignobiles Astronomices peritos in Germania, inter quos tamen ueluti inter Stellas Luna minores, emicant duo illi clarissimi Mathematici, Georgius Beurbachus Noricus, & Gentilis meus Ioannes Regiomontanus, Gentilem posteriorē illum nomino, quoniā oriundus in oppido est, quod à mea & Curionis patria, uix longius quàm tribus passuum milibus distat. Externæ nationes, duos hos, tanq; uiros, qui singulari ingenij uirtute, Germaniā illustrarunt mirantur & suspiciūt. Par est ut & nostra Iuuentus cognoscere, & pro uiribus æmulari eos studeat. Cōtulerūt certē fidelem & summe utilem operā in eo, quod obscurissimas demonstrationes in Ptolemæi libris patefecerint, quod usum præceptorū ostenderint, artemq; adeo ipsam, uarijs libellis, tabularumq; uarijs etiam generibus absoluerint, expresserint, oculisq; quasi subiecerint. Atq; hæc paucis in hoc operis ingressu dicta sint de Astronomia, summisq; eius scriptoribus. Dicendum nunc de Astrologia est, id est, ea parte quæ est de Apotelesmatis & Astrologorū responsis. Hanc Curio meus in suis, quæ scribere nuper cœpit, Genethliologicis, definit artem siue potius obseruationē esse noscendorum euentuū è repetitis sæpe experiētij sigillatim accumulata.

Astro